



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 23. Varia scripta in Quesnelli cubiculo reperta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. A. C. 1703. Palatii Archiepiscopalis parietem perforarunt, ac foramen adeo amplum fecere, ut postera nocte continuato opere per illud Quesnellus facile extrahi potuerit: Ita ergo circa horam primam præfatæ noctis evasit, erupit, nil nisi plurima epistolarum, quas in hoc carcere a suis receperat, in minutissimas partes discerptarum fragmenta relinquens. Delituit Bruxellis per aliquot dies, tandem vero clam Namurcum, inde Huyum, ac demum Amstellodamum contendit: Enimvero Quesnelli fautores sparsis per urbem literis eum velut alterum Paulum deprædicabant, & ipse Quesnellus in epistola ad Vicarium Generalem Bruxellensem data jactitabat, se ab Angelo Dei velut alterum Petrum e carcere eductum fuisse, neuter tamen ex his Apostolis ficti nominis mendacio, quæsitisque latebris, suos hostes effugere, aut carceris effractione libertatem redimere intenti erant.

§. XXIII.

Varia scripta in Quesnelli cubiculo reperta.

Quamvis violenta hæc carceris effractione ac fuga Quesnellum condemnet, ac flagitii convictum probet, luculen-

culentius tamen ex scriptis, quæ in Sæc. XVII.
 ejus cubiculo a Ministris reperta fuere, A. C. 1703.
 cunctis patuit, horum societatem
 nonnisi perniciosam fuisse factionem:
 Reperiebatur nominum cifra, per quam
 iniquitatis mysteria occultabant, dete-
 gebantur literaria eorum commercia
 cum Jansenistis per varias in Europæ
 Urbes, Aulas, Universitates, Ordines
 Religiosos, & profanas societates di-
 spersis, nomina quoque eorum Præsu-
 lum fuere detecta, qui arctioris amici-
 tiæ vinculo Quesnello adhærebant, &
 largiora pecuniarum subsidia ad pro-
 movendam hanc factionem confere-
 bant, quinimo manifestata etiam fuere
 clandestina eorum consilia prorsus sin-
 gularia, omnemque expectationem
 longe superantia: Inter alia reperie-
 batur epistola ad Avausium Comitem
 scripta, quo induciis vicennialibus, quas
 Ludovicus Rex anno hujus sæculi octo-
 gesimo quarto præcipuis offerebat Prin-
 cipibus, comprehendendi audacter pete-
 bant, ut hac ratione sibi magis diutur-
 nam, quam non erat illa Clementis IX.
 pacem procurare possent, cum ipsis
 persuasum esset, quod Rex Christianis-
 simus S. Augustini Discipulos pejus,
 quam Piratas haberi, eosque a gratia
 cunctis Nationibus sine Religionis di-
 scrimine oblata excludi nolit: In fine

E 5 hujus

Sæc. XVII. hujus epistolæ sese subscribebant, hu-
 A. C. 1703. millimos & obsequentissimos Servos, D. Au-
 gustini discipulos. Proponebant vero
 hujus pacis condiciones sequentes. I.
 Illi, qui Regi Christianissimo displicent,
 suam agendi rationem validis vindicent
 apologiis, & contra eorum vitam &
 doctrinam objecta diluant. II. Hu-
 millime supplicatur Regi, ne deinceps
 via facti contra eos agi permittat, nec
 adversus eos Regias literas expediat,
 eoquod ejusmodi mandatis Regis justi-
 tia tam intra quam extra Regnum im-
 minuatur, cum hæ literæ non raro
 contra viros probatæ virtutis & inno-
 centiæ expediantur. III. Rex liberta-
 tem concedat illis, qui vel decreto-
 rum severitatem experti, vel eam de-
 clinantes, in carceribus detinentur,
 vel nulla ætatis, infirmitatis, pauper-
 tatisque ratione habita extra patriam
 morari coguntur. IV. Nunquam a
 Rege beneficia petitori sint, illis vero
 provisi, omni functiones suas exercendi
 libertate gaudeant. V. Quod Regi
 opem ferre, parati sint ad reducendos
 hæreticos, & ad illos convincendos
 scripta & libros edere velint, dum-
 modo Rex suis quoque decretis præsto
 sit. VI. Quod semper Gratix Christi
 veritates a D. Paulo prædicatas, & a
 S. Augustino explicatas contra novas
 in

in unius hominis (Molinæ) cerebro re- Sæc. XVII.
 cens natus defensuri, ac pro iis, si o- A. C. 1703.
 pus foret, sanguinem effundere, om-
 niaque vitæ incommoda potius per-
 peti, quam ut eæ ullo pacto labefacten-
 tur, consentire velint. VII. Quod sem-
 per doctrinæ moralis Christianæ cor-
 ruptores infectaturi, præcipue doctri-
 nam Regum parricidalem, & seditio-
 sam opinionem de Regum depositione
 exterminaturi sint. VIII. Quoniam
 vero etiam inculpatissimi, ac pruden-
 tissimi quique a calumniis nunquam
 sat tuti sunt, hinc supplicetur Regi,
 ut eorum accusatores adstringantur le-
 gitime probare ea, de quibus eos ac-
 cusant, & si defecerint, calumniato-
 rum pœnis punirentur.

Hæc scripta transferebantur ad Re-
 gem Christianissimum, qui summa ad-
 miratione defixus, aperte cognovit,
 Jansenistas conflare factionem non modo
 Ecclesiæ, sed & Regno summopere no-
 civam, & publicæ quieti adversam,
 quocirca illos deinceps pari ferme se-
 veritate ac Hugonotas infectatus est.

§. XXIV.

Simulata Brigodæi Palinodia.

Quoniam vero Brigodæus e carcere Sausfa Ques-
 suo, in quo jamjam per semestre nel. p. 451.
 hæsit,